

17
DIE V FEBR.

IN FESTO

SS. XXVI MART. JAPONENSIIUM
D U P L E X

Omnia de Comm. plur. Mart. præter seq.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui, ad tui imitationem, per crucis supplicium primitias fidei apud Japoniæ gentes in sanctorum Martyrum Petri Baptistæ, Pauli et Sociorum sanguine dedicasti: concede, quæsumus; ut quorum hodie solemnia colimus, excitemur exemplis. Qui vivis et regnas.

*Commem. præced., deinde
Fer. occur. in Quadrag.*

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occur.

In Quadrag. Fratres, Debitores, de Comm.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

REMOTISSIMÆ Japoniæ regioni extremis orientalis Asiæ finibus sitæ, quæ diu in tenebris et in

umbra mortis sederat, sextodecimo salutis humanæ reparatæ sæculo catholicæ veritatis lumen affulsit. Magnus siquidem ille Indiarum Apostolus sanctus Franciscus Xavierius Christum prædicans crucifixum, adeo insignem fidelium fundavit Ecclesiam, ut hisce in terris Apostolorum tempora reddisse viderentur. Non illi etiam dofuere Martyres, qui fidei primitias sanguine consecrarent. Eodem enim labente sæculo, cum Taicosama Japonensium imperator pluries minitatus fuisset se Philippinas insulas in suam ditionem redacturum, censuit catholicus Hispaniarum rex aliquos suæ nationis religiosos viros in Japoniam mittere regio legatorum munere or-